

altare posito, post crucem, iterandum. Beatorum imagines aureolis, radiis et splendoribus, non vero diademate [sanctitatem denotante] ornari possunt.

c) A Sabbato Sancto usque ad hymnum angelicum in Missa Sabbati Sancti, D. N. I. C. imagines ac cruces, B. M. V. et Sanctorum atque altarium icones, etiamsi festum titularis, vel patroni aut dedicationis occurrant, velari debent, et amovibiles sanctorum icones omnino removeri oportet. Consuetudo, hoc tempore, velandi cruces tantum et non etiam imagines est abusus penitus tollendus¹.

d) Imagines quomodocumque impressae, Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia, non publicentur². Hinc Christi, B. M. V., Apostolorum ac Evangelistarum imagines cum habitu vel forma nova alias non usitatis, in ecclesia, vel cum habitu regularium prohibita manent³. Quantum vero juxta diversas anni tempestates has mutare habitum dedecet, patet.

e) Imagines SS. Cordis, quae solum cor repraesentant, privata ex devotione permittuntur, sed in altari publicae venerationi colendae exponendae non sunt⁴. Coronam vero potiusquam capiti imponere, Eius ad pedes deponere praestat.

f) Antiquae imagini B. M. V. de rosario in eodem altari, imaginem parvam pompeianam supponere [sottoquadro], eidem antiquae imagini de rosario, Pompeianam imaginem substituere, aut in ecclesiis B. M. V. de rosario dicatis, eandem Pompeianam imaginem in aliquo loco earumdem ecclesiarum exponere, aut in his ecclesiis aliud altare Pompeianae Virgini dicare non licet⁵.

221. — S.S. Reliquiae, quibus dum Deo, B. M. Virgini ac Coelitibus Sanctis cultus praebetur, et fidelium pietas fovetur, in sacristiae arculis, vel in armario parieti Ecclesiae fixo et inscriptione signato, asservandae. Hae vero, ut publico exponantur cultui, Ordinarii recognitione ac adprobatione indigent. Lucro et superstitione remotis⁶, reliquiarum deosculatorem petentibus⁷ eas praebere Pastor potest; at ex ipsis aliquid sibi arrogare, aliquid [sub quocumque praetextu] distribuere, abradere, in aliam Ecclesiam transferre, infirmis deportare et ita porro, Or-

¹ S. R. C. in *Calaguritan.*, 18 febr. 1892.

² Leo XIII, *officior.* 25 jan. 1897, decret. cap. VI; S. C. R., in *Trivent.*, 23 febr. 1894.

³ Urbanus VIII, 3 mart. 1764.

⁴ S. U. I., 26 august. 1891. — Cfr. S. Offic. 15 jul. 1893;

⁵ R. R. C. in una *Ord. Praedicator.* 24 febr. 1890: *Eiusd. Litt. circul.* 20 maj 1890.

⁶ Trid. XXI, *Ibid.*

⁷ Cfr. S. C. R., 7 april. 1832.

dinarii haud accedente venia, minime licitum. Ne vero prophanentur rapiantur, falsae supponantur, humiditate corrumpantur aliove modo pereant, ut Pastor ipse clavem semper custodiat curabit. Ad rem:

I. — Si Reliquiae cuiusdam auctoritatis, ob civiles forte perturbationes, vel alio quovis casu interierint, ne publice eae proponantur, nisi rite ab Episcopo recognitae¹.

II. — Praescriptionis argumentum, vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit si cultus antiquitate commendetur: nimirum pro decreto ann. MDCCCXCVI, a Sacro Concilio Indulgentiis sacrisque Reliq. cognoscendis edito, quo edicitur: Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi, casu particulari, certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse².

III. — Super tabernaculum in quo SS. Sacramentum asservatur, reliquiae ita exponere ut ipsis Tabernaculum pro basi inserviat, ac vel in ipso Tabernaculi ostiolo, aut coram SS. Sacramento exposito nequaquam licet³.

IV. — Si in processionibus deferantur reliquiae, quae Sanctorum sunt, hastato sub baldachino deferre non licet; quod, e contra, pro S. Cruce aliisque dominicae Passionis instrumentis fieri potest, dummodo tamen a primis disiungantur⁴. Reliquiae Beatorum processionaliter deferri nequeunt. Post reliquiarum processionem ipsis cum benedicere populo potest Pastor, sed non tenetur⁵.

222. — De Paroeciae canonica essentia est ut in ea, vel in sacristia, vel ad ipsam contiguum, baptisterium reperiat, quod non ex ligno [ne aqua successive inbibatur] neque ex aurichalco [ne aerugine inficiatur] esse permittitur. E contrario, ex lapide solide exculpto atque immobili, integro, non hiulco, atque munito, ne aqua per rimas facile effluat vel siccet, undique bene clausum, clave penes Parochum semper asservata, sit. — Baptisterium binis saltem per annum vicibus, diligenter mundetur, et antiquus fons ab ipso Parocho vel ab alio sacerdote evacuatus, in piscinam effundatur, ac novus, in sabbato Paschae et Pentecostes⁶ per ipsum celebrantem⁷, benedicatur⁸. Coetera, de baptismi sacramento dicentes, recolemus.

223. — Campanarum sonitu fideles ad Ecclesiam vocantur, ubi, divinis mysteriis et saluberrimis imbuti doctrinis, ad veram eorum Patriam ascendere discunt⁹. At harum pulsus, non modo ad Ecclesiam convocandam plebem, sed aliis quoque sacris inservit usibus; nam, ut

¹ Pius PP. X, *Encycl. Pascendi*, 8 sept. 1907.

² Cfr. S. C. Indulg. 20 jan. 1896.

³ S. C. R. C. Sept. 1845, n. 2909.

⁴ Id. 27 Maj. 1826; in *Almeriens.*, 31 jan. 1896.

⁵ S. C. R. 28 nov. 1895.

⁶ Id. 24 Jun. n. 1933.

⁷ S. R. C., 7 Dec. 1844. Cfr. S. R. C. in *Cephaluden.* 16 dec. 1909, ad I, et VII.

⁸ Id., 1 Sept. 1838.

⁹ Cfr. *Instruct. Eystettens.* n. 138.

in proverbio est, *campana sabbata pangit, funera plangit, fulgura frangit, dissipat ventos, placat cruentos*¹. Sed heic quoque audiantur canones²:

I. — Antequam suo loco reponantur campanae, chrismate sacro ab Episcopo benedicendae, qui, absque indulto Apostolico, hanc benedictionem alteri delegare nequit.

II. — Campanae benedictae nomen imponitur, et matrinam ac patrinum in eius benedictione adhibere licet.

III. Campanam benedictam ad prophanos convertere usus non licet³, et, praeter casus ab Episcopo determinandos, eorum pulsatione ac usu, ad solemnitates mere civiles uti, temporalibus haud licet Magistratibus⁴. In casu vero periculi imminenti, vel etiam, honoris caussa, in adventu Principis ex. gr.⁵ eam adhibere fas est.

IV. Regulares, quamvis exempti, antequam maioris Ecclesiae campana pulsata fuerit, suae Ecclesiae illas in Sabbato Sancto pulsare nequeunt⁶.

V. Uti omnia ad cultus pertinentia, ita, tempus ac durationem campanae pulsus statuere ad Ecclesiam pertinet⁷, de quo, ut plurimum, peculiaria diocesum Synodi statuunt.

In harum verum ordinationum observantia, paroeciae attentis consuetudinibus, cuncta quae ad rem faciunt Pastoris officia continentur; qui adeo satagere debet ut, dum divini cultus solemnitas servatur, et pravorum hominum petulantia ac impatientia haud lacessatur. De re, enim, perpluras oboriri quaestiones quas pro posse vitare pernecessarium, in comperto est⁸.

§ III. — De quibusdam sacri cultus adiumentis.

SUMMAE RERUM. — 224. De sacristia eiusque ordine, ac de inibi adservandorum custodia ac cura. — 225. Quomodo ibi se habere Pastor possit. — 226. De aedituis eligendis, quomodo habendi, et quae cum ipsis urgere ac praestare debeat.

224. — Uti ex facie domus, ac de atrio eius internum cognoscitur, ita de sacristiae ordine, adeo de Ecclesiae conditione iudicium fertur, ut

¹ Cfr. *Instructio pastoralis Eystlens.* n. 138.

² Cfr. D.D. cit. — Quoad leges civiles pro Italia, cfr. Giovanelli, *Op. cit.* XXXVIII.

³ S. R. C. in *Perusina*, 16 jul. 1594.

⁴ Cfr. Cavagnis, *Op. cit.* lib. IV, n. 267.

⁵ Cfr. S. C. R. in *Platiens* 21 febr. 1896.

⁶ S. R. C. saepe; Benedict. XVI, *Instit.*, 20.

⁷ Cfr. D. D. in tit. *De immunit. eccl.* X, III, 49; S. C. EE. et RR. in una *S. Fidei* 15 nov. 1905; Cfr. in *Compostell.* 10 nov. 1900.

⁸ Pro Italia cfr. art. 157 Codic. poenal. insuper Giustiniani, *Le campane nel diritto ecclesiastico italiano* [in *Rivista di diritto ecclesiastico*, vol. I, pag. 260] et Giovanelli, *Op. cit.* XXXVIII.

vetus illud effatum, talis Parochus qualis Ecclesia, talis Ecclesia qualis Sacristia, omnino recte, obtineat locum. Quaedam, igitur, in re ad praxim spectantia recollere haud vanum erit¹, quae huc redeunt:

a) Quoad externum Sacristiae ordinem statuendum, haec consuetudo fert. Scriniorum in medio, conspicua Crucifixi imago prostet; tabella in qua missarum onera per annum recurrentia referantur, necnon alia in qua cum Sancti Ecclesiae Titularis nomine et dioecesani Episcopi illud inscriptum sit, ac ubi calendarium affigatur et orationes ab Ordinario imperatae indigentur, patenti loco adsit. Lavacrum decus, aqua pura ac recenti quotidie repletum, cum mundo manutergio ad exclusivum celebrantium usum reservatum in propatulo stet. — Commode ac tranquillo in loco precatorium habeatur scabellum, cui tabulae, orationes ante ac post missam dicendas continentes, statuuntur desuper. — Missarum regestum super mensam apertum, in quo [ut inferius dicemus] sacerdos quilibet, manu propria, nomen ad diem quo ad aram fecit, et sacrificii intentionem adnotet, haud desit.

b) Quae inibi adservanda sint res ipsa demonstrat, in quo tanta diligentia adhibenda ut omnia apte disponantur ac secure et perquam diligentissime custodiantur. Sacristiae, igitur, ianuas obfirmare, seras obicesve fortes inibi constituere, ferreis fenestras munire cancellis, ac huius loci claves [quae nocturno tempore Pastor apud se retinebit] sedulo custodire, pernecessarium. Praesertim:

I. Quoad sacra vasa:

1. Pro calice [eorum cuppa] ac patenis conficiendis quae, ex ligno, vitro, cupro², aurichalco ac alluminio³ sunt haud adhiberi possunt: stannum⁴ ac christofleum metallum, dummodo perquam diligenter intus deauretur, licent: aurum vel saltem argentum⁵ adhibere praescriptum est, et, in postremo casu, haec saltem sacrorum vasorum partes quae Sacram attingunt Eucharistiam bene deauratae esse debent.

2. Cetera vasa sacra [ciborium, ostensorium, pixim, lunulam, ecc.] dummodo eorum interiores partes deauratae sint, ex cupreo⁶ confari ac rite adhiberi licet.

3. Pro ostensorio [si eius internas partes excipias quae, iisdem legibus quam coetera subiacent] quoad eius materiam, quae tamen ex metallo semper esse debet, nil praescriptum est.

4. Calix ac patena consecrari, coetera omnia benedici ab Episcopo vel eius delegato debent. Calix vero si terebretur, confringatur ac a pede funditus separetur, consecrationem amittit⁷.

¹ Cfr. *Institut Pastor Eystlens.* n. 141.

² S. C. Offic. 12 febr. 1862.

³ S. C. C. 24 maj. 1824.

⁴ S. C. Episc. et RR., 17 sept. 1880.

⁵ S. R. C. 20 mart. 1875.

⁶ S. R. C. 1 sept. 1866.

⁷ Missal. Rom. *Rubr. general.* Par.

III, cap. 10, n. 1; Benedict. XIV, *Elsi pastoralis*, 26 maj. 1742, § 6; S. R. C.

1° sept. 1866.

5. Coetera vasa non consecrata, nec benedicta quae in liturgico usu habentur sunt: a) ampullae, urceoli, hamulae quae vitreae esse debent, quamvis et hae quae ex auro vel argento sint tolerantur; b) thuribulum, navicula seu acerra quae ex metallo esse debent; c) vasum aquae benedictae, quod item ex metallo conflandum est.

6. In hisce vasibus omnibus, ac praecipue, in his quae Sanctissimam Eucharistiam pressius attingunt, quanta Pastoris diligentia esse debeat, nemo est qui non videat. Quae ex eis pretiosiora sunt, non in sacristia, sed paroeciali in domo, sedula sub custodia, servantur; coetera vero in sacristia tutis sub clavibus, in bene dispositis armariis, ordinate ac omnino proprie custodiantur. Quapropter ut Pastor seu aliquis ex eius Coadiutoribus [numquam aedituus nisi subdiaconus] calices, patenas, pixides et lunulas, aptis ad rem, sed innocuis adhibitis mediis¹, saltem bis in mense diligenter lavent, ac deinde panno ad hoc [in sacrarium deinde prociendo] diligentius abstergant, oportebit. Si vero tum in calice, tum in patena aliquid contusionis vel interius deaurationis, aut huiusce in labiis abrasiones quaedam, in SS. peragendo sacrificio creantes incommodum, habeantur, ut instaurentur, ad artificem statim deferantur². — Tandem ut urceoli, ampullae, ab aedituo sedulo ac quotidie laventur, et thuribulum necnon vasa aquae benedictae pluries in anno ab eodem [qui sacra tangere vasa non praesumat] poliantur, boni Pastoris cura erit.

II. Supellex, omnis confecta lineo, et praesertim quae S. Eucharistiam immediate tangit vel in administrandis Sacramentis adhibetur, non lacera, nec maculata, nec exsecrata, sed rite benedicta, mundissima ac bene custodita sit. Divini Servatoris Corpus ac Sanguinem in sordidis deponere linteaminibus [quae privatis in domibus et usui privato vix toleranda viderentur] adeo summopere dedecet, ut sacrilegii ad instar, iure meritoque, habendum sit. Haec omnia antequam laventur, laici tangere ne presumant; et priusquam tradantur lotricibus, a sacerdote, diacono, vel subdiacono in quodam nitido vase abluantur, ac lotionis aqua in piscinam, seu sacrarium demittatur³.

III. Quae de linteaminibus diximus, et de illa sacrorum utensilium parte quae sub paramentorum nomine venit iteranda, quae suis cum stolis ac manipulis, pro diversitate festorum, quinque saltem distincta coloribus, diligenter asserventur. — Ne nimio usu trita vel scissa,

¹ Cfr. *Della conservazione e riparazione dei SS. Calici ed Arredi Sacri per S. S.* [Torino 1896] ubi plura ad rem opportuna habentur.

² Cfr. Berengo, *Op. cit.* n. 190.

³ Cfr. *Id.* n. 193.

sed integra, munda ac nitida sint, summa illius officii dignitas in quo sacerdos et levitae his induuntur, omnino exposcit. — Ne tineis corrumpantur, aliquoties in anno [veris vel autumnii tempore] exponantur aeri. In eorum vero comparatione, colores liturgici stricte servantur, et in eorum signis seu figuris nil molle, nil leve, nil quod ad cogitationes profanas mentem perducatur, appareat.

IV. Lustralis aqua in diverso vase ab illo in quo alia pro solemniori administratione baptismi continetur, in sacristia vel alio honesto, sed sicco in loco asservetur. Quae vero tum inibi, tum in Ecclesia habentur, saepe perlustretur, et ne in re aliquid contra hygienem admittatur, saepe aquae immutentur ac vasa laventur.

V. Thuribulum, una cum navicula [incenso quod satis referta] ac cochleare, mundum extet.

VI. Bireta ad sacerdotum usum adhibenda ne desint, quae tamen ne sordida ac lacera sint, advigilandum. Ad rem, meminerit, rubricas explicite prohibere quominus sacerdos missam celebraturus absque bireto exeat.

VII. Missalia, ritualia, et alii liturgici libri in sufficienti habeantur numero, et ne tum a sacerdotibus, tum a clericis deterantur, advigilabit Pastor.

VIII. Quidquid pro postremis nostrae salutis sacramentis infirmis administrandis necessarium est, adeo in promptu habeatur, ut, nullo negotio, inveniri adhiberique possit.

IX. S. Extremae Unctionis olea, nisi certae necessitatis causa [uti ab Ecclesia magna distantia], numquam in canonica, sed in sacristia, vel in ipsa Ecclesia [non tamen in S. Tabernaculo] in loculo in muros excavato ac fidelibus obserato clavibus a Parocho servandis, custodiantur¹. Omnia olea, quotannis ab Episcopo, ut plurimum, per sacerdotem, [vel illo deficiente, per laicos omnino fidos, non vero per officii publicis postalibus et similibus²] comparanda³ sunt, quaecumque non obstante consuetudine⁴. Vetera olea cum novis haud miscenda⁵ sed in lampadem coram SS. ardentem exprimenda; bombacium vero in sacristia comburatur, eiusque cineres in sacrarium mittantur.

X. Tandem si, ut urgentioribus casibus consuli possit, et parva ad manum pharmacotheca in sacristia servetur, juvabit plu-

¹ S. R. C. 16 dec. 1826; 31 aug. 1872; 23 junii 1892.

² S. Offic. 14 jan. 1903.

³ S. R. C. in *Anniciens.* 31 jan. 1896;

S. U. I. in *Leavenwarthriens.* 1 maj 1901; in *Puortu Alegren.* 14 jan. 1893.

⁴ S. R. C. in *Mantuan.* 28 jun. 1910.

⁵ S. R. C. in *Palavin.* 7 dec. 1844.

rimum: sed in re necessaria tantum eligenda, quae, ut plurimum, in excitantibus ac hemostaticis continentur.

225. Quae in Ecclesiae sacristia Pastor curare debeat indigtabimus paucis:

a) Silentium custodiatur, atque ut a sacerdotibus ac potissimum a clericis exacte servetur, et ne, insuper, in murmurationum, tricarum ac notitiarum conventum sacristia immutetur, curandum est.

b) Inibi laicos diutius commorari ne sinat, sed ut tantum per transennam faciant, ipse curabit.

c) Mulierculas frequenter nimis et haud patenti in loco recipere tum Pastor, tum Coadiutores eius ac aeditui ipsi quam maxime devitent, ne malis suspicionibus ansam praebeant.

d) Laicorum ac, praesertim, feminarum confessiones, consueta inibi recipere ratione ne liceat. Haec, enim, non minus quam praedicta ecclesiasticorum bono nomini officiunt.

226. — Quamvis cuncta quae recolimus Pastori vigilantiae ac curae in primis et ante omnia, commissa sint, attamen si in re aeditui opera ipse careat, quae ipse statuet, coeteri disperdent. De aedituis, igitur, quaedam dicenda supersunt, quorum praecipua huc redeunt:

a) Aedituorum electio ardua semper res est, quae tamen ne tum divinus cultus, tum fideles, tum Pastor ipse detrimenta haud spernenda patiantur, peculiari Parochi sollicitudine eget. Si, enim, garruli, protervi, contumacesque hi sint, dum munus negligunt suum, plebs inurbane habetur, et Parochus ac Coadiutores ipsi eorum insolentiae ac falsarum interdum gravissimarum accusationum miserima praeda fiunt. Haec inibi omnia praesertim contingerent ubi [quod numquam satis reprobandum] non homines, sed et feminae ad hoc munus exercendum adsumerentur, quae, quamvis in omnibus ac per omnia dignissimae et etsi ex religiosis Institutis selectae, tamen in re numquam adhibendae. Ecclesiae supellectilem quoquomodo parare, altaris linteamina ac paramenta conficere ac resarcire, et ita porro, earum quidem est; at in ceteris omnibus quae divinum pressius spectant servitium, nullo modo adsciscendae sunt. Si vero aedituorum electio, laicis Ecclesiae consultoribus [*Kirchenvorstand, fabbricieri*] ex lege pertineat, ne de sua absque intelligentia ipsi faciant, sedulo strenueque advigilabit Pastor. — Quod et de illo qui organum in Ecclesia pulsat iterandum, in quo non tantum quae de aedituis diximus, sed et congrua saltem musicae sacrae agnitio¹, vel, ad minimum, illius nimis prophanæ devitatio, quam maxime spectanda ac exigenda. Laicorum enim [ut alibi explana-

¹ Cfr. *Instruct. Vicariatus Urbis*, 12 febr. 1912, in *Ordinal.*

bimus] in Ecclesiae regimen invasio, non minus quam Parochi in civilium rerum administrationem ingerentia utrimque nocet. Unicuique suum!

b) Quae vero Pastoris cum aedituis agendi ratio esse possit, sequentia dicent:

I) Privatam aedituorum personam Pastor invigilet, et ut probi, maxime religiosi, modesti, sobrii, fideles, secreti tenaces, ac, si coniugio ligati, boni sponsi patresque familias sint, ac adeo in omnibus se gerant uti eos qui pressius divino inserviunt cultui, curabit. — Si vero, processu temporis, aliquid in re gravioris momenti habeatur, aedituum prudenter dimittere oportet ne, etsi involuntarie, Sanctuarium quoquomodo inficiatur. Gravioris momenti diximus, quia heic quoque ad maiora assequenda, minora toleranda saepe sunt: Sanctuarium, enim, ac paroeciae clerum maledictis vovere, in horum dimissorum moribus, esse quotidiana experientia docet.

II) Eorum publicam, uti aeditui nimirum, personam, non minus accurate invigilabit Pastor bonus: hi, enim, quae olim a clericis minoribus munia ac officia peragebantur, in Ecclesia exercent, qua in re adeo se habere debent ut de agendis rite instructi ac in suo munere perquam solliciti, tum de Ecclesia ac eius locis omnibus, tum de rebus inibi asservandis, quam maximam curam gerant. Ut, igitur, quae de sacra suppellectili, de sacristiae ordine servando, et de Ecclesiae in singulis partibus munditie, alibi diximus, ex ordine, diligenter ac in tempore, per aedituos serventur, Parochus advigilabit. In his omnibus vero praestandis ut non suo pro lubitu, sed generales juxta paroeciae consuetudines et peculiare Parochi iussiones ac consilia aeditui se gerant, omnino pernecessarium. Vae!, enim, Ecclesiae, in qua adeo aedituis laxantur habenae, ut non tantum cum fidelibus, sed et cum clero ac Parocho irreverentes inobedientesque se praebere audeant; quod idem ac rectum regiminis ordinem funditus subvertere esset. Quod utinam omnes intelligerent!

III) Ut non caritative tantum, sed et perurbane cum fidelibus sacristiam petentibus aeditui se habeant, sedulo curabit Pastor, et ut quando sacramentorum administrationis et aegrotantium necessitatis caussa, tum die, tum noctu presbyteri sciscitentur, perquam sedulo aeditui eos certiores reddant, tamquam de gravissimo conscientiae officio, eos Pastor monebit. Persaepe, enim, commoditati suae aeditui inserviando, plura dissimulare vel mentiri consuescunt.

IV) Sed, et in primis et ante omnia, ut erga Deum aeditui reverenter se habeant summopere advigilandum. Hi, enim, persaepe, utpote clerum ex consuetudine adeo negligunt ut clam et forsitan

[quod numquam tolerandum] et aperto spernant, ita et Deum, cui continuo inserviunt, adeo irreverenter habent, ut dedecentia plura ipsi perpetrare ne horreant. At sordida manu et, etsi munda, absque linteamine sacros tangere calices, S. Tabernaculum aperire ut an particulae sufficientes inibi habeantur se certiores fiant, vel inibi munditiam curent, S. Ostensorium, SS. Expositionis tempore, suo e loco amovere ut cerea mundent, et similia [haud casu recensita], numquam aedituis licita esse per se patet. — Praesertim vero ne in lampadibus coram SS. Sacramento lucentibus oleum et cuncta quae ad rem faciunt desint, perquam sollerter advigilandum. Quod, ut melius praesent, aliquoties in die [ut par est] Divinum Ecclesiae Hospitem invisat Parochus: quae, enim, aedituum inconsiderantia vel festinatio perpetrant, et casus ipse, interdum, prodit. — Tandem ut quoties ante SS. Sacramentum aeditui pertranseunt, genuflectant sedulo Pastor attendat, et generatim, ut in omnibus ac per omnia semperque adeo in Ecclesia ipsi se gerant, ut fidelibus omnibus aedificationi sint, studendum quam maxime.

V) Tandem aedituos erga, comis, patiens, benevolus, benignus et officiosus Pastor sit, quin tamen ullam ipsis concedat familiaritatem, qua, facillime, nunc et postea, in eius, Coadiutorum ac paroecliae detrimentum, abuterentur ipsi. Cautus, igitur, ac secreti sui tenax cum ipsis Pastor sit, ac constans officiorum suorum exactor, haud tamen durus aut morose imperiosus. — Quum vero plura quae in re devitanda sunt inter epulas praesertim haberi possint, in quantum Consuetudo fert, cum aedituis mensae socius numquam Pastor erit. Cum vero ad hoc necessitas cogat, Pastor ille qui infinita propemodum diceria in plebe haud excitare desiderat, perquam prudentissime in omni sua agendi ratione, se habebit.

Articulus II.

DE CULTU DIVINO IN GENERE ET AD REM MORALIBUS MEDIIS.

§ I. — Quae a Pastore ac fidelibus in re curanda sint.

SUMMAE RERUM. — 227. Animadversiones praeviae. — 228. Praecipuae divini cultus qualitates a Pastore colendae. — 229. Quae ad rem in fidelibus curare ipse debet.

227. — Cultus externus quantum Deo gratus extet innumerae Veteris Testamenti caeremoniae legesque in re ab Eo editae, satis superque demonstrant, et quantum in Novae Legis pacto ei placitus existat, tum

ipsa cultus natura, tum actus qui illum comitantur, satis superque ostendunt. Dignus quippe est Deus accipere gloriam, honorem ac virtutem, ut Ei, per quem facta sunt omnia, etiam creaturae omnes serviant. Per externam, porro, religionis manifestationem, nostrum erga Deum amorem, gratitudinem, subiectionem, ac fiduciam contestamur, fitque ut per externum exercitium, interna sensa foveantur, et, humanis adminiculis, ad divinarum rerum contemplationem elevemur, atque, per visibilia religionis ac pietatis signa, in invisibilium amorem rapiamur. Sed et alios ad pietatem excitabimus, qui videndo opera nostra, meliora charismata imitabuntur, et Patrem qui in coelis est, glorificabunt. Quoad cultum divinum canones, generatim, edicunt:

Universaliter Ecclesia cultum suum publicum omnibus modis idoneis exercendi plenum ius habet. Horum integra determinatio, quoad necessitatem, vel opportunitatem, ad eam prorsus pertinet¹.

228. — Praecipuae divini cultus externi qualitates a Pastore prae oculis habendae huc redeunt:

a) Dei cultus ipsi cordi quam maxime sit, quo pro Eius amore, decorem domus suae et locum sanctae habitationis suae sincere, ordinate, fortiter, discrete ac exemplariter diligendo ac colendo, suo pastoralis oneri in re satisfaciet.

b) Sincerus, igitur, Pastoris Dei cultus sit, nimirum non ad oculum serviendo, sed et ut per illum christifidelium animas ad superna elevet, ac ad quae conscientiae christianae Deum erga sunt officia persolvenda eos incitet: cultus, enim, externus, ad internum fovendum dirigi semper debet.

c) Ordinatus Dei cultus esse debet, scilicet, non ad vanam propriam pompam, sed ad Dei gloriam habendus, non ex suo arbitrio, sed iuxta ecclesiasticas leges, immo et iuxta peculiare diocesis ac paroecliae ipsis consonas consuetudines, excolendus.

d) Dei cultus sit fortis, nimirum, si in peculiaribus paroecliae consuetudinibus aliquid in re quod in ecclesiasticas leges peccet irrepsit, [attentis circumstantiis] illud strenue fortiterque Pastor evellet, ut Ecclesiae mens, adamussim servetur incolumis. Quanta, enim, procedente tempore, in re abusus irrepere possint, tum experientia, tum complurima SS. RR. Congr. reformatoria decreta dicunt. At in re non phantasiae superstitionique, sed tum generalibus totius Ecclesiae, tum peculiaribus dioecesis ecclesiasticis legibus serviendum, ne

¹ Cfr. Cavagnis, *Op. et loc. cit.* n. 196 et seq.